

783.

1284 d. 3 Febr.

Påfv. MARTINUS IV:s Stadfästelse på Risaberga klostres erhållne fri- och rättigheter.

A. 1. a. 49.

MARTINUS episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus
 .. Abbatisse et Conventui Monasterij de Rysiberg, ordinis sancti Benedicti Stren-
 gianensis diocesis, Salutem &c. såsom N:o 721 till Datum apud Vrbemue-
 terem III Nonas Februarii Pontificatus nostrj Anno Tertio.

Nederst vid hörnet: Jac. Romanus. På frånsidan: Helyas de Spoleto. Blybullan bortfallen.

784.

1284 d. 13 Febr.

Rom.

Påfv. MARTINUS IV:s Giftermåls-tillstånd för Konungens slätinge HELENA och HOLMGER.

F. 1: 318. An. 3. Ep. 129.

Litteræ apostolicæ Martini IV pro dispensatione a 4:o Consanguinitatis gradu inter Elenam Regis consanguineam, ac Holingerium Dioeceseos Lincopensis.

Martinus &c.

("Nulla adest designatio Episcopi.")

Apostolice Sedis benignitas rigorem nonnunquam mansuetudine tem-
 perat, et quod negat iuris severitas de gratia pietatis indulget presertim ubi
 conditione personarum, et temporum qualitate diligenter inspectis id neces-
 sario vel utiliter viderit expedire. Sane petitio dilecti filii nobilis viri VL-
 phonis filii Holingerii Lineopensis Diocesis, ac dilecti in Christo filie nobilis
 mulieris Elene Consanguinee Carissimi in Christo filii nostri M(agni). Regis
 Swetie Illustris nobis exhibita continebat, quod licet ipsi affectent matri-
 monialiter invicem copulari, quia tamen quarto consanguinitatis sunt gradu
 coniuncti non potest, impedimento huiusmodi obsidente, eorum in hac parte
 desiderium adimpleri. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc de
 oportune dispensationis gratia providere misericorditer dignaremur. Cum ita-
 que sicut ex quorundam Venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum
 Regni Swetie fidedigna relatione didicimus pacis unio, que inter Carissimum
 in Christo filium nostrum . . . Regem Swetie Illustrem ex parte una, et eun-
 dem Vlphonem, ac alios Barones, et Nobiles dicti Regni temporibus pre-
 teritis dissidentes ex altera propter quod multa personarum, et animarum
 pericula provenerunt dicitur esse facta per hoc corroboretur fortius, et di-
 cti Regni tranquillitas procuretur. Nos eorumdem V. et E. in hac parte

Sv. Diplom.

81

supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si diligenti per te inquisitione prehabita, quod de huiusmodi pacis corroboratione, et dieti Regni tranquillitate proponitur inveneris veritate fulciri, consideratis etiam aliis circumstantiis universis, que super hoc fuerint attendende, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare cum ipsis quod impedimento non obstante predicto inter se matrimonium libere contrahere valeant, et in contracto licite remanere auctoritate nostra dispensare procures. Dat. apud Vrbem Veter. Idibus Februari. Anno Tertio.

785.

1284 d. 1 Mars.

Rom.

Påfv. MARTINUS IV:s Tillstånd för Kon. MAGNUS I att i Hof-Capelle låta hålla Gudsjanst efter sjelfva Romerska kyrkans ordning.

F. 1: 320. An. 3. Ep. 121.

Martinus IV. instante Rege Svetiae indulget, ut in divinis officiis in Regia Capella celebrandis ordo Romanus perpetuo obseruetur.

Martinus &c. Carissimo in Christo filio Magno Illustri Sweorum, et Gotorum Regi Salutem &c.

Cum sicut lecta Nobis tua petitio continebat ob reverentiam Romane Ecclesie Matris tue cupias in divinis officiis celebrandis in Capella tua ordinem ipsius Romane Ecclesie observari. Nos tuis devotis supplicationibus annuentes, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut idem ordo in celebrazione divinorum ipsorum apud eandem Capellam tuo, et heredum tuorum Swetie Regum temporibus imperpetuum observetur. Eadem auctoritate nihilominus concedentes, ut hii, qui divina premissa pro tempore in Capella celebraverint memorata huiusmodi ordine dumtaxat sic possint esse contenti, quod ad ea celebrandum aliter vel secundum alium ordinem minime teneantur. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre concessionis infringere &c. Si quis autem &c. Dat. apud Vrbem Veterem Kalendis Martij Anno Tertio.

786.

1284 d. 2 Maj.

RAGVALD INGESSONS Gåfvobref på Östraby i Hults socken till Alvastra kloster. m. m.

A. 3. v. 1: 9.

Jn nomine patris & filij et spiritus sancti amen. Ego Ragnualdus Jngonis filius in extremis positus. considerans uite presentis statum instabilem. nichilque cuilibet homini fore durabile. nisi quod ad anime sue salutem ope-